

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro 63. (*Neovidensis* 1805. Nro 60.)

---

*Ex Campis Elysiis*

*Oratio Politica.*

De felicitate, & infelicitate hujus Mundi.

---

Elysium -- Meum. -- Die Vener. 9. Aug. 1805. (Neov. 26. Julii.)

---

Sententia :

Sæpenumero infelicitas est, esse felicem, & sæpe  
felicitas, infelicem fieri.

*Experiment. Philosophiæ c. 1.*

**M**ulta lamenta de infelicitate hujus mundi emanerent, si omnium rerum nexus posset pervideri, & si observandis uniuscujusque infelicitatis consecrariis tempus impenderetur. Qui ita assvevit, in fine suorum dierum, in ultima statione suæ vitæ, non tantum jucundas scenas referet in numerum felicium casuum, sed quamlibet etiam sibi obviamem adversitatem, instar beneficii vocabit in calculum; quam magna erit tunc felicitatis, & quam exigua summa infelicitatis? Discite mortales hac ratione onera hujus vitæ vobis facilia reddere, & iniquitatem temporum

emollire, Nam sæpenumero infelicitas est, esse felicem, & sæpe felicitas, infelicem fieri.

Abundantia divitiarum, amplissimi honores, usus deliciarum, sunt bona, quæ quisque desiderat, quæ efficaciter quærit, & quorum possessione se felicissimum reputat, Hac de causa pauper divitem minus contento intuetur oculo, status medius rumpitur invidia videns quempiam Stella, aut ordine, aut specioso titulo, ornatum; Quicumque remotus est a negotiis hujus mundi, effunditur in suspiria, si forte pertranseat palatium, in quo gaudia tripudiant.

Si autem multitudo sive majore uteretur attentione, sive sufficientem haberet occasionem, hanc eximiam, fallacem felicitatem cominus spectandi, si cuilibet, cujus externa forma tanta invidia digna censetur, familiarior foret, profecto gaudia non nominaret illico gaudia, neque honores, & divitias nomine felicitatis insigniret.

Pauci divites sunt ita felices, atque vulgo putantur. Quo pluribus quis abundat, eo plura appetit, vel eo pluribus opus habet; In utroque autem casu raro nummatus habet plus illo, qui parce videndo vitam honeste tolerat. — Priori illi, qui nocte, dieque in eo enititur, ut suum augeat patrimonium,

nec tantum suppetit, quantum paucis contento, sed qui victu mediocri famem sedat, & juxta suum statum munde se vestit — Avaritia, quæ eum terret, ne forte facultatibus labatur, non sinit, ut, quæ possidet, cum gaudio consumat, Ejus vigiliæ sunt curæ, ejus somnus mera inquietas — verbo: Non novi pauperiorem divite avaro.

Alter vero, qui omnia dilapidat, ita jam profusioni innutritus est, ut ea nec moveatur amplius — bibendo vinum Campanense non sentit eam svavitatem, quam sitiens ex hausto liquidæ aquæ fonte — Sed nec potest aliud, quam saturari, & statui convenientem deferre vestitum,

Honorum subsellia etiam non præstant, quod inde speramus. Nullam nosco periculosiorem vitæ stationem, quam sit viri, in summo dignitatis fastigio consistentis. Factiones inferiorum, varium ingenium, atque indoles superiorum, sunt gravissimi ejus inimici; munus suum debet sine intermissione curare, & tamen cum omni sua vigilantia non est securus, ne præcepta agatur.

Voluptas, quam homines pro sua inventionem sub diversissimis speciebus provocant, nil aliud est, quam somnium, quod nobis aliquot horis illudit — merus lusus umbrarum, in quo id, quod apparet, reipsa

deficit, est denique species Opii, quod ad breve tempus soporem inducit adeo, ut veri nostri status, præsentiae animi obliviscamur, persvasissimumque habeamus, nos sobrios esse — Qui occasione jucundarum chorearum, opiparorum prandiorum, & in frequentia conventiculorum solam personam spectatoris agit, illi videntur suaviter inter se confabulantes liquidissimo perfrui gaudio, sed comitemur hos, qui tanta solatia publice produnt, ad lares domesticos, tantam ibi deprehendemus tristitiam, & animi mœrorem, ut omnino de maximis diebus festis, atque solemnitatibus non simus nobis amœnas efformaturi ideas.

Qui ab una relaxatione animi ad aliam currunt, nequeunt animum recolligere, & coguntur vera voluptate, quæ in sinu familiaris præsto est, abstinere.

Hæc ita dicta felicitas hominum id non tribuit, quod inde nobis obventurum promittimus, secus omnes divites, omnes in dignitatibus constituti, omnes deliciarum illecebris dediti, hilaritate semper redundarent, quod tamen experientiæ adversatur. Cui datum est penitus nosse vitam divitiis — honoribus — gaudiis affluentium, ille nullo negotio colliget, eos non esse vere felices, prout eminus esse videntur.

Nullibi reperitur major interna inquietudo, magis excrucians animi ægritudo, & quædam statui medio nota sollicitudo, quam in aulis Principum, in corona Magnorum, ubi secundum commune præjudicium felicitas habitat; sæpe nonnulli tunc incipiunt quieti, sorte sua contenti, adeoque felices fieri, dum istis splendoribus nuncium remittere — præterea nil potest hominem magis opprimere, atque varii fortunæ casus.

Plerumque degenerant homines, ut primum in illis sitis habendarum opum, honorum, ac voluptatum extingvitur; Paucissimi norunt prospera fortuna rite uti; apud perosque singularis mutatio felicitatis parit infelicitatem: Menti tenebræ offunduntur, obvenientes divitiæ, obtenti honores, participatio infrunitarum voluptatum plerumque sunt scopuli, ad quos allisa virtus, & recta conscientia perit.

E contrario non est hujus mundi infelicitas ita periculosa, aut noxia, ut vulgus existimat; profecto, si veritatem rei hujus excutiamus, cogemur fateri, nos ideo potissimum fuisse felices, quod in hoc, vel illud infortunium inciderimus.

Ita homines sunt a natura comparati, ut rarissime primo intuitu defæcatum ferant de rebus judicium. Plerumque tardius est in

nostra potestate positum determinandi, quid nobis felicitatem, quid infelicitatem attulerit. Parvis, & magnis prolibus, quamquam iudicio, & annis multum inter se differant, hoc tamen commune est, ut indigentur, & se infelices reputent, si votis eventus non respondeat, si crepundiis priventur, si eorum desiderio non satisfiat, sed si sequelas præviderent, confirmarent effatum experimentalis Philosophiæ: sæpenumero infelicitas est esse felicem, & sæpe infelicitas fieri felicem.

Ingens accidit infortunium, uti hoc Liburnenses nuntii de 8. Julii in hunc modum referunt: Heri vesperi intra spatium 7 dierum appulit ad nos Algeria navis Austriaca (Trabaccolo); Onusta illa erat 170 Indæis, qui exorta Algeriæ 29 præteriti mensis seditione, expilatisque Hebræorum domibus, & pluribus quam 500 interemtis summa cum difficultate inde profugerunt. Relatio, quam hac de re Præfectus navis fecit sanitatis administrationi, ita sonat: Die 28. Junii Judæus Pusnach Duci Algeriensi familiaris, & status Minister scloppo manuali, & inflictis aliquot vulneribus occubuit. Sequenti die ejusdem funus a judaicæ religioni addictis solenni cum pompa tumulo illatum est; Hæc oerimonia fuit seditionis signum ad exercendam crudelitatem; furore incredibili intruerunt in miseros Israelitas, conciderunt in frustra, qui celerrima fuga sibi consulere non poterant, invaserunt etiam domos Anglici, & Gallici consulis,

putantes ibidem reconditos latere profugas, Fama fert, ipsum quoque Ducem morti esse datum. Haud parvo negotio successit tandem Gubernio sedare tumultum, qui ex penuria rerum, cujus auctor habebatur nominatus Pusnach, dicitur originem traxisse. Conditio, sub qua Insurgentium ira deforbuit, in eo consistebat, ut omnes Iudaei tam ex urbe, quam territorio Algiriensi eliminarentur; Hac de causa duabus peregrinis navibus, tunc in portu existentibus (videlicet Austriae Trabaccolo, & alteri svevicæ) impositum erat, ut residuos infelices susciperent, & Liburnum transportarent. Ista relatio vehementer conurbavit Judæos, qui in tumultu Algiriensi multos partim cognatos, partim commercii socios amiserunt, quare avidissime expectant adventum navigii Svecici, quod tardius vela solvit, ut ex eo certiora resciantur. — Id quoque, sed incertis rumoribus compertum est, post abitum navis Trabaccolo, nondum fuisse motus compositos, verum seditiosos impetum fecisse in Svecicum navigium, ibique collectos Hebræos trucidavisse; Denique eandem feritatem ruri iterum recruduisse.

Esto summa sit hæc infelicitas, ex ea tamen sequi potest, ut potentia quæpiam Europæa horum infeliciam calamitate nota, illuc naviget, colonias deducat, & hunc latronum nidum dissipet.



N U N C I U M. \*\*

D. Daniel Tállyai , L. R. Q. Civitatis  
Posoniensis Officii Consulatus Actuarius, in  
Domo antehac Ketskésiana, nunc vero Co-  
mite Carolo Eszterháziána Nro. 82. insignita,  
in posteriori parte ædificii, contignatione pri-  
ma habitans, genuina, ac generosissima  
Vina Tokayensia, talia quidem, quæ Deus  
providaque natura per Solum Hegyallyense  
generi humano benigne concessit, cum in La-  
genis pro 2 fl., 2 fl. 30 kr. & 3 fl.; tum &  
jam vasatim venum dat, atque ut hæc per  
Emptionem publici juris fiant, præsentibus  
Publico notum reddit.

N U N C I U M. \*\*

Hic Posonii existens Officialis cujusdam  
uxor, juvenis, pauper, sed e bona domo  
oriunda, marito & prolibus destituta, Lin-  
guarum Gallicæ, Germanicæ, & Slavicæ,  
omnium item operum muliebrum optime  
gnara, servitia sua, operamque, qua Præ-  
fecta, Domicellis educandis, & instituendis  
fideliter impendendam in alicujus Magnatis  
aliusve illustri familiae domo, erga 300 fl.  
Salarium, vel alias etiam minores honestas  
Conditiones, futuramque sui provisionem,  
offert. Qui itaque opera ejus in educandis  
rite Domicellis suis uti voluerit, ut Respon-  
sum, cum conditionibus clare expressis, Po-  
sonium ad Typographiam Belnayanam quo-  
cietus Franco dare velit, enixe orat.